



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gavdendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventvales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de
Antverpiae, 1664

Promoemivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

TRACTATVS VII.

Penè moti sunt pedes mei, pacem impiorum videns. Existimauit cognoscere hoc, labore est ante me; donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. *Psal. 72.*

Ostenditur bona & mala huius mundi, bene dari etiam malis. sic ut nec soli, & omnes mali bona habeant, aut mala; nec etiam omnes & soli boni bonis affluant, aut malis vexentur. Itaque non affigat nos fortuna aliena.

P R O O E M I V M.



Agnus sane transauimus æquor, illudque diffidillum, maxima, inquam, quæ Diuinæ Prudentiæ obducendæ opponi poterat nubes, deducta est, & discussa. Scelera Diuino honori adeò non officere, ut etiam illi promouendo fuerint necessaria planum fecimus. Verùm illud adhuc complanandum restat, quod non Ethnicis solummodo Philosophis, sed & Dauidi Prophetisque humano more philosophantibus, fuit offendiculo. Ut vt sit, non impedianter scelerata, permittantur sanè, cùm Dei honor, liberumque id hominis exigat arbitrium. At verò cur quæ sunt scelerata, non permittuntur modo, sed & prosperantur? cur flagitiosis opes dantur, ceduntque omnia feliciter? si non omnibus, saltem cur plurimis, imò cur vili? an hoc non est souere scelerata? Probi vero cur contempti aut depresso, cur rerum indigi, & quidem improborum malevolentia? si non semper, saltem cur plerumque. Quid vero est virtuti officere, si hoc non est. Communissima hæc est

X. 3

mortar-

mortalium querimonia, quæque in omnium versatur ore. Cùm enim nemo se non probum aestimet, aut certè non adeò malum; rursum verò cùm nemo tam felix sit, qui sese depresso imò op- pressum malis non arbitretur, nemo etiam putat iustè se non con- queri. Iis autem vt os obstruam, ostendam primò, præclarissimis sanè ductum rationibus Deum, sceleratissimos homines felici- tate maximâ donasse. Deinde distributionem bonorum, aliter institui non potuisse, quam sic; vt nec impij omnes à felici for- tunâ excluderentur, nec boni omnes aduersâ premerentur: sed tam in bonos quâm in malos, bona malaque huius vitæ fors di- uideretur promiscue. Hoc inde demum consecuturus, vt nec alienâ felicitati inuideam, nec verò etiam infelicitate perturber.

§. I.

*Quare via impiorum prospiceret, non intelligemus perfectè, ni-
si in nouissimis eorum. Ut modò acquiescam, sufficit scire me,
Deum id sic disponere.*

*Querela de
impiorum
felicitate
exponitur.*

C Ommunissimam, maximeque inter cœcos mortales vulga-
tam, de Diuinâ Prouidentiâ conquerendi materiam aggre-
dior. Mirantur passim homines, suis semper intenti commodis,
ecccū Deus hominem crearat tam indigum rerum omnium, tot
fortunæ casibus expositum, tot miseriis morbiisque corporis sub-
iectum, cùm facile, nulloque negotio, aut vllō suō incommodo,
potuerit hæc aliter condere & ordinare. Quod si respondero,
non sic ab initio conditum hominem; peccatum primi Parentis
intercessisse, primamque ordinationem interturbasse; ac proin-
de miserias omnes, fructus esse pœnasque peccatis debitas; hoc
inquam si reposuero, tum vero velut agmine facto, Critici illi
Diuinæ Prouidentiæ Censores inuolabunt in me, illudque tritum
roties ob os obtrudent; cur si miseræ, peccatorum pœnæ sint,
scelestissimus quisque extra miserias positus, bonis abundet,
dignitatibus turget, vitumq; agat prorsus feliciter? Quid quod
& Prophetæ Hieremiæ sit ista querimonia? *Quare, inquit, via* ^{Hier. 11.}
impiorum prospicerat? an vt soucietur impietas? Neque hoc tan-
tum; sed sint sanè felices, sint diuites, sint potentes: verum
cur